DE HYDROCEPHALO ACUTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADALBERTUS BOCK

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. ENGELBRECHT, med. et chir. Dr.

C. KRIEGER, med. et chir. Dd.

W. COHNHEIM, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

PHYSICO CIRCULI SCHOENAVIENSIS REGIO,

AD URNAM USQUE

SUMMOPERE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROOEMIUM.

In eo, ut legibus academicis satisfacturus dissertationis specimen exhiberem, quum essem, ad infantulorum morbos animum converti, qui jam pridem ab illo tempore, quo primum pathologiae specialis studio exardescebam, prae ceteris aetatis humanae morbis me detinebant. Ex quibus tamen ut hydrocephalum, de quo scriberem, praecipue eligerem, eo mihi persuasum est, quod ipse saepius rapidum illum morbum toto decursu non vidi tantum, sed pluries etiam eundem atque gravissimum curavi prospere, quum jam Vratislaviae policlinicam praxin exercitarem. Nec jam est, quod sit mirandum, cur morbum non magis frequentem quam funestum ante alios puerilis aetatis morbos praecipue adamaverim, prae ceteris quum noverim. Sin vero rem propositam haud aptissime tractaverim, nec plane amplexus sim tanti argumenti copiam, nolitis oblivisci:

„In magnis et voluisse sat est!“

Phaenomenologia morbi.

Raro tantum universum morbi decursum contemplari contingit, plerumque potius priora morbi stadia, perfida illa, pro nihilo putantes homines medicum implorant demum, si nihil jam est, cui medeatur; aut morbus vel incipiens medici experientiae atque auxilio creditus, tam rapide incedit, ut multo prius, quam prorsus decurrerit, finiatur morte. At vero, si totum morbi decursum a primo initio ad finem legitimum usque observandi cuidam fuerit occasio, vix stadia plura distinctis signis discreta negare poterit. In stadiorum jam numero atque fine stabiliendo adhuc auctores inter se discrepant; alii duo statuunt stadia, inflammatorium atque exsudatorium, ut P. Frank (1), Conradi (2), Rhush, Krukenberg; alii, quibuscum plerique consentiunt, tria contendunt esse stadia, congestionis, inflammationis, exsudationis, veluti Whytt (3),

---

(1) Epitome lib. VI. pg. 183.

(2) Hufeland's Journal. 7. Bd. 2. Stück pg. 1—18.

(3) In dessen sämmtlichen Schriften Bd. V. pg. 662.

Cheyne, Tissot(1), Henke(2), Plenk(3), Schoenlein; alii denique, prae ceteris Goelis celeberrimus quem et nos sequemur, quatuor describunt stadia, prodromorum, inflammatorium, exsudativum, paralyticum. Sed haec hactenus; perlustremus jam ipsa stadia singula paulo accuratius, ac quidem

I. Stadium prodromorum s. turgescentiae.

Qui diligentius, quam vulgo, res hominesque contemplari solet, vix eum fugiet, infantulos morbo incipiente plane alios solito more reddi, hilares, alacres, jocosi qui antea erant, fugiunt nunc morosi, ignavi ludos, quibus tantopere gaudebant. Qui jam incedere didicerunt, nunc ambulare conati quam facillime vestigio falluntur, aut laboriose incedunt pedes sursum ponentes, tanquam scalas adscendere velint (4). Qui jam loqui coeperunt, in lectulo erecti de vertigine, cephalaea, temulentia queruntur, quibus depressi illico in lectulum recumbunt.

Caput tangitur ardens, oculi sanguine injecti fugiunt

---

(1) Ueber die Nerven u. deren Krankheiten. Bd. 3. T. II. pg. 204—228. Frankfurt u. Leipzig 1784.

(2) Handbuch der Kinderkrankheiten. Bd. 2. pg. 129.

(3) Doctr. de morbis infant. pg. 47—49.

(4) Goelis Abhandl. über die vorzüglichsten Krnkhtn. d. kindl. Alters. pg. 20.

lucem, facies rubescit, saepe colorem mutat, quam maxime modo rubescit modo pallescit; infantes, quamquam somni pleni, tamen insomnes sunt aut solito plus dormiunt; est somnus valde inquietus, nec aegrotulos levat ullo modo, nam pavoribus ex somno excitantur, quin minimo strepitu exterrentur, mussitant, inter somnum clamorem proprium peracutum, protractum edunt, aut sponte aut si tangitur ulla corporis pars, cujus clamoris primus mentionem fecit Coindet, nominans „cri hydrencephalique". Urina secernitur parca, saepenumero turbida, lactea, sedimentum album cretae instar seponit, aut secundum Vieusseux splendidum, quod initio membranam conformat, quam Burdach (1) ex adipocire cerebri decomposita explicari vult. Coindet (2) atque Matthey urinam, quae particulis micantibus illis est saturata, signum existimant hydrocephali quam maxime pathognomonicum. Alvus pertinacissime est obstipata, ut ne drasticis quidem remediis facile solvatur. Cutis sicca, saepe vel hoc in stadio exanthemate, quod descripsit Formey, affecta; est exanthema subtilissimum, siccum, in latere brachiorum exteriore, in genis, interdum in labiis oris conspicuum; quod

---

(1) Burdach v. Bau u. Leben d. Gehirns. VII. pg. 74.

(2) Observations sur un charactère particulier des urines. pg. 34.

tamen alii scriptores, ut Henke (1), in dubium vocant, qui ejusmodi exanthema non tam primo stadio quam toto morbo inveniri, quin deesse posse dicunt. Ciborum appetitus deminutus, nonnunquam, praesertim quum in lectulo eriguntur, infantes vomunt, pulsus parum mutatur, aliquantum justo frequentior, interdum intermittens (2). Primum hoc stadium nonnunquam abest, interdum aliquot aut horas aut dies, quin septimanas perdurat. Sequitur jam

II. Stadium inflammationis s. irritationis.

Illa, quae supra exposuimus, signa ingravescunt, aestus capitis adaugetur, infantuli ne caput aut moveatur aut tangatur, timent. Arteriae carotides atque temporales vehementer pulsant, cephalaea vaga redditur fixa eademque gravior; caput aegrotuli sustinere recusantes ad unum alterumve latus demittunt, erecto tamen capite facile vomunt, difficile vero ex emeticis sumptis; capite in lectulum submisso vomituritio pacatur. Vomitus signum est gravissimum atque frequentissimum stadii secundi, imo ubicunque vomitu cum cephalalgia conjuncto vexatur infans, usquequaque medicum hydrocephali probe memorem esse oportet. Verumenimvero quum primum deliria

(1) L. c. T. I, pg. 133.

(2) Goelis l. c. pg. 21.

apparuere plerumque cessat vomitus, attamen interdum toto morbo ad mortem usque redit. Saepe aeger post omnia, quaecunque ederit, vomitat, minus ex cibo, quam ex potu; evomitur fluidum mucosum, biliosum, coloris lividi-viridis, odorem spargens ingratum, foetidum, putridum. Lingua parce, albide tecta, interdum pura, exeunte morbo perarescit fusca. Atque est profecto linguae conditio maximi momenti in vomitu hydrocephalico ab gastrico dignoscendo. Sin medicaminum ope alvus solvitur, coloris flavo-viridis est, ovis gallinaceis concisis simillima. Infantes jam aetate provecti, septem annorum, delirant saepe ex illo temporis puncto, quo eos vomitus defecit; attamen deliria minime sunt furibunda, nec similia iis, quae encephalitidis adultorum sunt, sed plerumque multo placidiora, nussitantia quae vocantur; verba interrupta, male pronuntiata, fusco murmure, manducatione mandibularum mixta. Perdurant ista deliria fere tres vel quatuor dies stadii irritativi, interdum remittunt paululum, statim ab initio cum comate alternant, cui denique prorsus cedunt. Jam nunc interdum aegrotuli, quo minores aetate, eo facilius, corripiuntur convulsionibus; convulsiones si cetera symptomata superant plerumque morbus citius decurrit, alias in tertio demum vel quarto apparent stadio, saepenumero longe antea musculis faciei aut extremitatum

superiorum obiter coruscantibus praesagiuntur. Sensibilitas oculi adaucta ex photophobia, strabismo, pupilla contracta patet, etsi eam interdum (1) dilatatam esse negari nequit. Non minor auris est hyperaesthesis, oxycoia; facies pallescit, collabi incipit; haud raro liberi manducant, labris crepant, dentibus frendunt. Abdomen jam nunc, quod antea erat tensum, collapsum, etsi alvus est obstipata, id quod Goelis (2) signum hujus stadii essentiale exhibet; nares atque labia exsiccescunt, lotium atque exanthema Formeyanum non est aliud, quam in primo stadio. Pulsus denique, in primo stadio acceleratus, in secundo non ita multum augetur, exeunte tamen hoc stadio rursus retardatur. Pervenimus jam ad

III. Stadium exsudationis.

Inter omnia, quae nunc sunt enumeranda, symptomata ita convenit, ut sensibilitatem secundi stadii summam illam plane depressam designent. Infantes sponte jam in lectulo se erigere non valent, sed immobiles supine recumbunt, plerumque oblique, caput in pulvinaria

---

(1) Hopfengaertner Unters. über d. Natur u. Beh. der versch. Arten d. Gehirnwassers.

(2) L. c. pg. 32.

infodientes, pedibus divaricatis, ex opertorio lecti eminentibus.

Pupilla nunc fere dilatata ne candela quidem flagrante obtenta afficitur, res oblatae jam non discernuntur, saepe duplices videntur. Non minus unusquisque hebescit sensus, excepto auditu, ut Goelis (1) affirmat, quocum reliqui scriptores hac in re non consentiunt. Alvus eadem pertinacissime est clausa, quae erat antea, urina retenta aut guttatim secernitur insciis aegrotis, pulsus multum retardatur, vix quadragies vel quinquagies tangitur inaequalis, halitus oris foetet; in hoc stadio liberi avidi cibos devorant. Spatium hujus stadii perquam est varium, modo horas tantum aliquot perdurat, modo septimanam et plus. Denique morbus adtingit

IV. Stadium paralyticum.

Initium convulsionibus designatur, interdum musculorum omnium, saepe vero extremitatum (opisthotonus vere apparet), qui spasmi paralysi postremo finiuntur plerumque unius lateris atque dextri quidem; convulsiones breve tantum tempus interrumpunt soporem, in quo infantuli immobiles, palpebris semiclausis supine recumbunt,

---

(1) l. c. pg. 34.

ex paralysi lotii alvique excretio aut retenta aut inscia est, respiratio frequens, brevis, gemitu magis minusve interrupta, dysphagia, caecitas, surditas, macies totius corporis celerrima, ingens; pulsus parvus, intermittens adeo acceleratur, ut ne enumerari quidem possit, frons sudore frigido, tenaci madet profuso, dum manus pedesque frigescunt; color faciei ruber, circumscriptus mortis pallore fugatur, lingua sordida, fissa, calor naturalis artuum sensim atque sensim diminutus plane aufugit aucto capitis aestu; paulo ante mortem cordis palpitationes ad summum frequentiae atque vehementiae fastigium perveniunt, morte tandem taetra finitur haec scena. Haec habui de phaenomenologia quae dicerem; nimirum nunc sequitur, ut loquar de

Natura morbi.

Quantum hac in re scriptores inter se discrepent, vel ex eo facile cerni potest, quod morbi tot sint nomina tamque diversa, ut Eecephalitis s. Meningitis infantum, Hydrocephalus acutus, Morbus cerebralis Whyttii, Apoplexia hydrocephalica infantum, Enterocephalopyra infantum, Hydrophlogosis ventriculorum cerebri, Febris hydrocephalica, Encephalostasis infantum, Neurophlogosis cerebri.

Qua de re quid sentiam, nunc multa quidem propter brevitatis rationem silentio dissimulanda existimans, paulo accuratius disserere aggrediar et tres quidem praecipue, quum contemplor animo, reperio scriptorum sententias diversas, quarum jam, si placet, quantum sit justa unaquaeque, videamus. Omnium auctorum plurimi sunt, qui naturam morbi inflammationem cerebri existiment, etenim primum signa stadii inprimis alterius omnia systema sanguiferum summopere irritatum sat superque loquuntur; cura inde antisthenica strenue adhibita optimo eventu sententiam illam collaudat. Necroscopia denique et ipsa illa probari videtur sententia; namque, si aeger altero in stadio emoritur, cerebrum, cranio atque meningibus remotis, acsi fuisset incarceratum prorumpit, vasa diploës atque meningum et cerebri omnia hyperaemia excellunt insigni, ut ex cerebro persecto abunde sanguis emanet. Sin mors tertium vel quartum definiit stadium, multum aquae vel intra meninges reperitur, in ventriculis vero lateralibus unciae duae ad sex usque seri pellucidi, limpidi, interdum turbidi; exsudatum hoc serosum alternat cum plastico, quod ubi praestat, aquae copia exigua atque ex contrario. Hic jam exsudatum est proprium, ut saepe non ita facile a tuberculis possit discerni, namque in pia matre praesertim secundum majorum venarum decursum maculae re-

periuntur flavidae, prasinae, quae massa lutea, friabili, steatomatosa, interdum modo gelatinosa vel albuminosa in piam matrem infiltrata oriuntur; illis piae matris locis conspissata ipsa cum cerebro concrevit; praeterea tubercula miliaria aut dispersa aut confluentia in variis piae matris partibus, in tota cerebri superficie convexa atque copia meliore etiam in basi encephali; simul insuper persaepe partes cerebri mediae emollitae inveniuntur. Exsudata jam haec omnia, sive serosa sive plastica, quin sint ex inflammatione progressa explicanda, non dubito equidem; attamen inflammationis genus longe aliud, quam vulgo medicorum schola vocat, dico nimirum neurophlogosin. Jam Autenrieth duas inflammationis species ab reliquis secrevit, videlicet hydrocephalum atque gastromalaciam, atque inflammationes neuroparalyticas haud inepte vocavit. Nimirum optimo jure atque merito neurophlogoses a meris, quae dicuntur, inflammationibus nunc discernuntur; in ipso jam decursu eo discrepant, quod crustae phlogisticae, ut cetera taceam, in neurophlogosi etiam gravissima ne vestigium quidem apparet; inde quod systema nervosum neurophlogosi quam facillime afficitur, uti typo phaenomenorum atque opportunitate ad paralysin insigni declaratur; denique quod organismus magno quidem impetu, sed velociter tantum reagit, nec procul torpor.

Alteram de origine hydrocephali sententiam, ne quid dicam de reliquis, tuentur Fothergill et Odier, qui morbum hydropsiam primariam putant; quos tamen errore falsos esse et morbus praecipue incipiens diligentius observatus et corpus dissectum testantur. Nec desunt denique, qui hydrocephalum typhum sic dictum cerebralem habeant, ut Macbridius, Whytt, Hopfengaertner, Wichmann. Quos errores convincit una res, quod quidem typhus cerebralis morbus per se plane est nullus. Sed quid hujus rei plures conquiram sententias? Quid verbis pluribus opus est? Nullum scribendi neque finem neque modum reperiemus, si omnia accuratius explicare instituerimus; ex iis jam, quae hactenus exposuimus, fore ut cernatur, speramus, hydrocephalum esse neurophlogosin. Quae quum ita sint, haud cunctamur ad causas jam morbi ipsas enumerandas transgredi.

Aetiologia.

Primum jam causam praedisponentem perscrutemur. Hydrocephali signis causae atque aegrotandi genera, quae in cerebrum infantis vim habent, quam maxime variae apparent. Illa videlicet aetate cerebrum, quod ipsum modo excolitur, in sensibilitate nervorum aetatis tenerrimae magna jam per se pronum procliveque est,

vegetatione laesa, quam facillime et ipsum turbari. Raro tamen morbus neonatis ante mensem post partum decimum supervenit; ab altero potius ad octavum usque annum plerique vexantur infantuli, verum nunquam jam puberes corripiuntur. Vel parentum vivendi genus opportunitatem quandam struit; exstant funesta exempla sat multa, in familia una eademque omnes certae aetatis infantes a morbo correptos periisse. Prae ceteris infantes capite permagno excellentes propensi sunt ad morbum, plerumque sunt florentes atque mente praemature exculta insignes.

Ex causis occasionalibus potissimum hae notandae sunt: caput vulneratum aut contusum; quaecunque sanguinem ad caput versus magnopere excitant; si infantes magno aëris calore in pulvinis conditi dormitant; si capite nudo solis aestu tanguntur, praesertim dormientes; si caput subito refrigeratur; si spirituosis aut narcoticis excitantur vel sedantur, quo in genere potissimum nefandus nutricum mos est exagitandus, quae decoctum ex capitibus papaveris paratum infantibus potui praebent, ne ipsae, quominus dormiant, impediantur. Non minus parentum condemnandum est vitium, qui sat ambitiosi praematura disciplina parvulorum animos excolere student. Quas ad causas magis externas accedunt insuper internae satis plures: dentitio, imprimis vero scrophulosis atque

tuberculosis (1); deinde exanthemata ut scarlatina, morbilli; secreta aut sana aut pathologica suppressa, circuitus sanguinis impeditus, inflammationes capiti vicinae. Verum ne justo diutius in hoc dissertationis genere versari videamur, nunc jam morbi decursum atque exitum proponamus explicandoque persequamur.

Decursus atque exitus.

Decursus interdum tam cito trucidat, ut morbus apoplexiae sit simillimus, quare Goelis hydrocephalum acutissimum (apoplexiam hydrocephalicam serosam) ab acuto discernit. Atque illa quidem species saepe post exanthemata metastatica, impetigines, diarrhoeas, dysenterias oppressas exoritur, haec vero species, nempe acuta, frequentissima est; plerumque morbus duas septimanas durat, artis tamen auxilio decursus interrumpi atque jam post unum diem vel biduum ad felicem eventum potest perduci. Raro aegri ante octavum diem vita decedunt, rarissime tantum morbus diem trigesimum transgreditur, tunc vero nunquam non leto finitur.

Quae spectant ad exitum, primum morbus prospere pervenire potest ad sanationem perfectam; modo in

---

(1) Mill's Sammlung auserlesener Abhand. T. 36, p. 488. Baur in Haeser's Archiv. Bd. I, S. 269.

primis morbi stadiis jure speramus fore, ut sanetur aeger; plerumque circiter septimum, undecimum diem et postea res in melius mutantur crisibus manifestis; universales, febriles apparent urina copiosa, quae sedimento morboso carent, atque sudore, qui universalis, copiosus, calidus, interdum exanthemate erumpente comitatur; alvus secernitur copiosa, pulposa, e viridi nigricans aut fusca; nares labiaque rursus humescunt; interdum rhinorrhagia aut otorrhoea concomitatur haec symptomata, simul aegrotulus pacatur et topica crisi, quae summi quidem est momenti, somno capitur placido, profundo, longo. Tunc demum spes sanationis affulget laeta, quae tamen haud raro perfide nos fallit; si qua tantum sine crisibus remittunt symptomata, ne spei confidamus.

Verum etiam imperfecta sanatione morbus potest finiri. Aegrotuli vivi quidem evadunt, sed manci atque debiles, amaurosi, surditate, paralysi correpti, animo hebetes, epilepsia, hydrocephalo chronico affecti. Id quod tamen fortunae propitiae beneficio raro tantum evenit. Crebrior sanatione letalis est exitus, et tertio atque quarto stadio frequentior, quam primo ac secundo. Mors aut apoplexia sanguinis aut serosa effici potest; in stadio quarto exitum letalem quam maxime encephalomalacia se-

cundaria confici Fuchsius in libro suo contendit. Sed haec hactenus.

Restat jam, ut res, quae maximam in exitum morbi praedicendum habeant vim, gravissimas certe adumbremus.

Prognosis.

Generatim hydrocephalus inter morbos infantum longe periculosissimos est numerandus; singulatim pendet prognosis ex rebus hisce: primum ab aetate infantum; quo minores aetate sunt, in eo majus capitis atque vitae periculum perducuntur, quo quidem propiores pubertati, in eo minore versantur. Etiam natura causae in prognosi struenda multum valet; si morbus ex animi pathemate vel opii usu vel metastasi oritur, gravior est, quam qui ex insolatione aut causa mechanica incipit. Robusti liberi magis periclitantur, invalidi saepius ex malo evadunt. Si morbus una cum dentitione incedit, periculum augetur; si gastromalacia comitatur, mortem infert. Deinde prognosis ex stadio morbi pendet: medicorum antiquorum et recentiorum plures, ut Paraeus, Ludwig, Plenk, Frank, Goelis, alii, symptomatibus exsudati facti manifestis omnem sanationis spem fugari arbitrantur; nec vero desunt, qui exsudationem manifestam prospere devinci posse, sua se edoctos experientia profiteantur, ut

Cheyne, Portenschlag, Heim, Formey. Remedia adhibita si non viginti quatuor horis ut morbus remittat efficiunt, de felici eventu desperandum. Reconvalescentia perdiu haesitat ambigua, persaepe morbus jam manifeste minutus rursus increscit atque cito mortem infert, et demum postquam signa funesta septem octove dies evanuerint, spei confidamus.

Inter fausta signa haec numeranda: sudor universalis, tepidus, qui somno placido erumpit atque complures perdurat horas; faustum est, si nares auresque humescunt. Infausta habenda sunt: pulsus tardus atque irregularis, vomitus, strabismus, pupilla immobilis, hemiopsia, amaurosis, somnolentia oculis semi-apertis, vorax ciborum porrectorum deglutitio, convulsiones, hemiplegia. Unum symptoma funestum si evanescit, nondum spem affert ullam justam. Sed missis his, quae latius patent uberioremque requirunt expositionem, postremo jam illud unum adhuc considerandum esse videtur, qui morbo sit medendum.

Therapia.

Indicatio prophylactica primum, foetum jam respiciens, matres vel gravidas valetudinem curare, pathemata animi fugere, potus spirituosos vitare jubet. Infans

neonatus ne prematur, ne obstetrices, ut quaedam solent, caput partu deformatum in melius conformare funeste conentur, ne nimiis neonati fasciis involvantur, ne caput, ut in baptizando periculum, refrigeretur, neve ictu casuve laedantur, maximopere cavendum. Alvus adstricta ne unquam plus quam viginti quatuor horas feratur, curandum, utque lotium libere excernatur. Monendum deinde est, ne animus praemature excolatur neve liberi poenis nimiis fabulisve mostellariis terreantur; potissimum, ne caput nimis, ut mitra ex pellibus facta, calefiat, aut aestu solis nimio tangatur intectum, ne potus cibusve difficile digerendi, alvum constipantes, excitantes, remediave narcotica, somnifera adhibeantur.

Indicationi huic prophylacticae eo diligentius ut satisfaciant, oportet familias, quarum est opportunitas ad hunc morbum declarata, qua jam complures perierunt infantes. Quae si ita sunt, suadendum est matri, ut non ipsa uberibus suis alat infantem, sed nutrici sanae committat. Insuper, si dispositio quaedam capitis forma significatur, etiam plus cavendum est; caput infantis quotidie compluries aqua frigida lavetur, nisi impetigine cingitur. Nonnunquam quarta quaque septimana eccoproticum infanti porrigatur; denique plane aptum erit, in familiis, in quibus hydrocephalus haereditarius occurrit, neonatis, ut

Cheyne atque Sachse suadent, fonticulum aperire, qui ultra aetatis annos, in quibus antea liberi morbo confici solebant, pateat.

Indicationi inde causae satisfacturi res externas removemus omnes, quae cerebri irritationem sustentare possint; exanthemata atque impetigines retrogradae vesisatoriis, emplastro Tartari stib. in externam cutem revocare experiamur; capite vulnerato atque conquassato per longius temporis spatium regimen antiphlogisticum persequi et infantem diligentius tueri medicus jubetur.

Indicatio denique morbi ipsius in singulis stadiis est diversa; primum quidem atque secundum methodum antiphlogisticam requirunt, attamen secundum propriam corporis puerilis atque morbi indolem temperatam. Hirudines primum duae—duodecim post aures, in tempora apponantur atque haemorrhagia, quae sequitur, foveatur, prout rubor faciei labiorumque atque signa cerebri irritati suadent. Verumenimvero probe est cavendum, ne, externa sanguinis turbulenti specie decepti, nimium sanguinis effluere sinamus, nam in hoc encephalitidis genere neurophlogistico depletionem nimiam atque nimis subitam quam facillime paralysis extemplo sequitur. Sin ex primis hirudinibus res prospere successere initio, verum post aliquod tempus signa recrudescunt, ne punctum quidem

temporis dubitemus iterum hirudines apponere. Postea gelu in usum est vocandum, epithemata ex nivibus vel glacie vel aqua frigida vel aqua cum aceto mixta, in vesiculam bubulam immissa adhibenda, aut fomentationes Schmuckerianae instituendae sunt, donec facies non amplius rubescat, vertigo, temulentia diminuatur, oculorum reliquorumque sensuum mendacia sint fugata; quae tamen signa quoties recrudescunt, ad frigus toties est refugiendum. Praeter remedia haec, quae directe sanguinis procellam atque impetum frangere conantur, methodus derivans summum therapiae est, sine qua antiphlogistica exhauritur frustra, quae non nisi pro tempore auxiliatur, sanguinis impetum arcere nequit. Atque primum quidem ad tractum intestinalem derivandum utimur purgantibus, potissimum Mercurio dulci, qui insuper resorbendi virtute maxime excellit. Ordinatur Calomel, quoad sedes propriae illae virides, foetidae, pulposae apparent, infantulis mensis unius usque quatuor binis horis grani quadrans, infantibus mensium sex usque annorum duorum granum dimidium, aetate magis provectis granum unum ad duo, semper addita magnesia. Sin alvus constricta, dosis adaugetur, quin Jalapa additur, remedia clysmatibus aperientibus juvantur. Ita quotidie alvus liquida quater vel sexies per plures dies provocanda est. Sin alvus nimis

crebrescit, muco, quin cruore misceatur, si infantes de torminibus conqueruntur, Calomel seponatur oportet, ejusque loco Decoct. Salep atque Digitalis cum Liquor. Ammonii acetici porrigatur, nam oleosa propter vomitum timendum vitanda sunt. Praeter hanc jam methodum antiphlogisticam atque sedativam diaeta apta ordinanda. Cubiculum, in quo aegrotuli versantur, subobscurum, quietum sit, infantes situm in lectulo magis erectum servent, ne subito moveantur, quum haud difficile vomitus exoriatur. Alantur aegrotuli modo mucilagine atque pomis coctis, potus sit acidulus, temperans, aqua cum citri, Rubi Idaei succo mixta.

Si hydrocephalus cum gastromalacia est complicatus, cura aliquantulum mutanda est; purgantia jam adhiberi non possunt, sed hujus derivandi generis loco in cutem renesque agere experimur. Ut supra porrigitur Liq. Ammon. acet., Digit., pediluvia atque maniluvia calida, cataplasmata, quibus pedes involvuntur, inunctiones ex Acet. scillit., Terebinthina vel Tinct. Cantharidum in abdomen, lumbos, suras factae, clysmata ex Aceto parata praeterea bene apta sunt in stadio irritationis. Vel nunc Formey exiguas Digitalis doses addit. Nunquam negligantur inunctiones Ung. cinerei, saepe efficacissimae in caput tonsum, aut alternatim in crura, axillas alias-

que partes factae, trinis horis drachmae dimidiae. Facere hoc loco non possum, quin remedii memor sim, quod recentiore tempore aut per se aut junctum cum Mercurio aptissimum ad resorptionem juvandam adhibebatur, Jodum (1) dico. Jam vero, si tertium supervenit aegrotulo stadium, si exsudatum factum esse patet, Goelis nunquam aegrum servatum se vidisse confirmat. Etiam tunc Mercurio fortiter adhibito prosper exitus valde quidem ambiguus potest sperari. Simul capiti tonso ingens Emplast. Cantharid. imponitur, cui suppuranti favendum. Remedium vero hoc in stadio summi momenti sunt superfusiones frigidae, quae saepe miram suam comprobarunt vim. Infantes saepe — infusi illico sopore excitantur, in quem tamen mox relabuntur; superfusiones saepe binis horis, quin singulis iteratae die ac nocte adhibendae sunt, donec morbus plane devictus erit. Remedium non minoris dignitatis eo constat, ut totum corpus involvatur in lintea aqua gelida imbuta; incitamento tanto in externo corpore adhibito nihil mirandum, si morbus internus consistit. Denique consilium, quod dedit Graves, silentio praeterire nequimus, pupilla dilatata Opium adhibendi;

---

(1) Schmidt's Jahrbücher. Bd. 25. pg. 153. Medicinische Zeitschrift für Preussen 1841. pg. 75.

quum Opium pupillam contractam reddat, et ipse Graves atque Hauffius prospere hac methodo se usos esse perhibent (1).

Alia remedia, quae rebus sic se habentibus adhibenda collaudantur, sunt: epithemata ex Infuso herbarum aromaticarum cum Spirituosis parato, balnea calida; interne Arnica, Ammoniacalia, Calomel cum Moscho, Aqua Chlorinica, similia.

Crises si apparent diaphoreticis juvandae sunt remediis, si reconvalescunt aegrotuli, quam cautissime agamus: nimis enim propensi sunt, qui in morbum recidant. Tonica sapienter tantum porrigantur, in quibus praestat China.

---

(1) Würtenberg. Correspondenzblatt 1840. pg. 172.

VITA.

Natus sum Adalbertus Aloysius Franciscus Bock, fidei addictus catholicae, pridie Idus Novembres anni h. s. XX Berolini, patre Josepho, medico tunc Berolini practico, physico nunc in Silesia regio, et matre Friderica e gente Krause, quam jam quinque abhinc annis praematura mihi morte ereptam intime lugeo. Postea quidem denuo pater uxorem duxit Carolinam e gente Roegner, quam tamen et ipsam ante quinque menses diro extinctam fato maeremus. Primas literas domi Schoenaviae a patre dilectissimo edoctus, puer annorum XIII Vratislaviae in Gymnasii ad aedem St. Matthiae t. t. Rectore Clariss. Elvenich florentis discipulorum quintae classis numerum receptus sum, ibique circiter VI annos studiis humanioribus addiscendis operam dedi.

Dein cum testimonio maturitatis dimissus, anno h. s. XXXIX almam, quae ibi floret, Universitatem literarum

adii et ab Ill. Hahn, t. t. academiae fasces tenente, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Henschel, t. t. ordinis medicorum Decanum, nomen sum professus. Abhinc per VI semestria in illa musarum sede scholis interfui hisce: Ill. Barkow, qua est insigni doctrinae subtilitate, de anatomia et comparata et pathologica disserentem audivi. Ill. Benedict de chirurgia generali atque speciali, de ophthalmologia, de fasciis rite applicandis et de instrumentis profunditate doctrinae cognita dicentem audivi; examinatoriis de plurimis chirurgiae doctrinis, operationibus chirurgicis atque ophthalmicis in cadaveribus rite instituendis interfui. In clinico atque policlinico chirurgico dux mihi idem fuit per annum et quarundam in vivis operationum perficiendarum occasionem mihi dedit. Ill. Betschler gynaecologiam et artem obstetriciam, atque operationes obstetricias tam diserte quam dilucide me edocuit. Idem in policlinico gynaecologico, quod sub ejus auspiciis in dies laetius accrescit, dux atque praeceptor benevolentissimus occasionem feminarum et infantum morbos curandi atque parturientibus auxilium ferendi multiplicem mihi dedit. Ill. Nees ab Esenbeckii scholas de botanice generali frequentavi; Ill. Fischer de chemia universa experimentali et pharmaceutica; Ill. de Glocker mineralogiam mihi exposuit; Ill. Goep-

pert de plantis officinalibus; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de encyclopaedia medica; Ill. Klose de pathologia generali et materia medica; Ill. Otto anatomen corporis humani, historiam foetus, sectiones in foro rite instituendi methodum nota orationis suavitate me docuit. Dux mihi fuit idem hilaris in exercitationibus anatomico-practicis per duo semestria hiemalia. Ill. Pohl physices hodiernae systema et doctrinam de electromagnetismo profundo, quo est, animi vigore, mihi enucleavit. Ill. Purkinje physiologiam experimentis illustratam et histologiam mihi exposuit. Ill. Remer sen. de therapia generali verba facientem audivi. Idem vir per duo semestria in clinico atque policlinico medico moderator mihi exstitit unicus. Ill. Remer jun. de syphilide cum vigore egregio dicentem me audivisse glorior. Ceterum Ill. Rohowsky de logice, Ill. Thilo de psychologia, Ill. Stentzel de historia annorum XIII—XV h. s., Cl. Kahlert de Goethii Faustio atque de poetis saeculi nostri, Ill. Seidel de pharmacocatagraphologia, Ill. Wendt de morbis ex laesa nutritione oriundis et de morbis psychicis disserentes audivi.

Praeterea Exper. Doct. Wendt, Nega, Menschig, Koehler in exercitationibus clinico-practicis benigne me

adjuverunt. Quibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis gratias quas debeo maximas nunc ago.

Auctumno praeterito Berolinum studiorum finiendorum causa transgressus et almae hujus Universitatis civibus ab Ill. de Raumer, penes quem nunc fasces academici sunt, adscriptus, apud Ill. Mueller, h. t. decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem, nomen sum professus.

Atque his interfui scholis: Ill. Wagner medicinam forensem, exemplis ex experientia sua sat copiose sumptis atque sectionibus in cadaveribus rite institutis illustratam, et politiam medicam me edocuit. Ill. Hecker de historia medicinae atque pathologia historica aeque eleganter atque docte disserentem audivi. Cel. Ideler psychiatricen quam maxime diserte atque ingeniose mihi exposuit. In aliis scholis non versatus sum nisi in exercitationibus clinicis, quae ducibus hic Ill. et Cel. florentes frequentantur.

Tentaminibus jam, et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Hydrocephalum acutum inter neurophlogoses potius quam inter phlogoses esse numerandum.
2. Neurophlogoses multum a phlogosibus discrepare.
3. Remedia s. d. prophylactica vel nulla esse vel nocere.
4. Peccare medicum, qui quo natura vergat, eo semper tendat.
5. Esse conditiones quasdam, quibus, licet infantis demortui signa certa non exstent, excerebratio tamen concedatur, quin jubeatur.